



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

An iustè liceat catholico Regi petere & exigere à personis ecclesiasticis aliquam partem fructuum ecclesiasticorum; cum approbatione Pontificis.
cap. lxiii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

Materia ista profundum pelagus est, & obscœnum, & multi inuoluuntur in ista cœcitate, & obscœnitate: ideo arbitrio Dei, & sacri summi Romani Pontificis animaduersione tanq̃ nefandæ improbitatis materiam relinquamus. sed vide Hostiensem, & Gofredum in titu. de simo. & videte doctores in titulo de simonia. & videte Ioannem maiorem in iij. dist. xxv. & vide sanctum Thom. in secunda secundæ q. c. & videte in iij. articu. xxv. & ibi videte Caietanum in commentarijs.

† Iubente domino meo illustrissimo Cardin. Paceco, ²⁴ hunc tractatum de simonia composui, cum commorarer Romæ in domo suæ illustrissimæ dominationis, anno M. D. LVI.

AN IVSTE LICEAT CATHOLICO REGINOstro in occurrenti calamitate petere, & exigere a personis ecclesiasticis aliquam partem fructuum ecclesiasticorum, interueniente tamen approbatione, & consensu sacri summi Romani Pontificis. Cap. LXIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Hispaniarum Rex in regno suo est monarcha, & de iure superiorem non recognoscit.
- 2 Philippus Hispaniarum Rex, à quibus originem trahat.
- 3 Ius patronatus an transeat ad heredes.
- 4 Quibus ex causis ius patronatus acquiritur.
- 5 Patrono quæ & quot debeantur, & num. 6.
- 6 Reges nostri continue debellantes, excessiuos sumptus, pro defensione Reipublicæ Christianæ, profuderunt.
- 7 Christiana religio à senissimo Turcarum Rege continue oppressa, & num. 12.
- 8 Quibus de causis res ecclesiæ vel ecclesiasticæ, alienari possunt, remissimè.
- 9 Vtrum pro captiuorum redemptione ecclesiæ ministeria vendenda sunt.

- 11 Tenetur Ecclesia captiuos redimere, propter animæ periculum.
- 13 Quid agendum, cum quiniuitus prouocatur.
- 14 Quæ semel Deo oblata sunt, ad humanos vsus amplius conuerti non debent.
- 15 Cum de generali utilitate totius Christianitatis agitur, tam clerici, quam laici contribuere debent.
- 17 Temporalium defensio quibus præcipue commissa sit.
- 18 Pro necessaria defensione Christianæ Reipublicæ, licet catholico Regi, Archiepiscopis, Episcopis, medietatem fructuum beneficiorum suorum petere.
- 19 Extrema urgente necessitate, quilibet auxilium præstare uoletur.
- 20 Necessitatis tempore omnia communia esse debent.
- 21 Quæ & quot sint via à iure inuenta, secundum quas ecclesiæ prouidentur.



Ixi in xxiiij. capitulo, quod res ecclesiasticæ, vel bona ecclesiarum possunt licite alienari pro redemptione captiuorum, & pro alimonia pauperum; nunc quero, & maxima cura instantia peto, si in hodiernis calamitatibus Rex Hispaniarum, Rex optimus, & dominus noster possit petere, & iuste exigere medietatem fructuum decimarum a clericis, & personis ecclesiasticis pro tuenda, & seruanda religione a Saracenorum incurisibus, & à magno infideli Rege Turcarum: & quia res magni ponderis est, præmittito aliqua, & ex præmissis quæstio resoluta manebit, & facilis.

¶ Præmitto primo, quod Rex Hispaniarum est monarcha in regno suo, & de iure non recognoscit superiores, ut est gloss. notabilis, & aurea in c. Adrianus. ij. lxij. ubi legitur; Reges Hispaniarum cum non subessent imperio, regnum ab hostium faucibus eruerunt. & Oldradus in cons. lxx. dicit: Reges Hispani terram illam per arma ab infidelibus acquisuerunt: de hoc uidebis docto. in c. per venerabilem, qui filij sint legi. & uide Alberic. in l. c. 2. de Populos, de summa trin. & fide cath. ¶ Et quod Rex Hispaniarum

Hispaniæ de iure non recognoscat superiorem, textus est in prima partita, tit. v. lib. xvij. Et altius historiam recensendo; primi quidem Gothorum Reges Athanaricus, vel secundum alios Alaricus, à quibus Rex Philippus, Rex Hispaniarum, & dominus noster indubitata trahit originem, ex grata Honorij Imperatoris concessione Hispanias viriliter aggressi sunt, & Vandalos, Suevosque debellando ab Hispania eos expulerunt, & in Africam fugere coegerunt, quia tyrannice, & contra imperatoris voluntatem occupauerant: & ex tunc postquam Hispanicam monarchiam adepti sunt, vsque ad tempora nostra Reges Gothi regnauerunt, & in sempiterna secula regnabunt. Ipsi vero Gothorum Reges discurrentibus annis construxerunt sacra templa, & ecclesias, vbi diuina officia virtute diuina celebrarentur, & ornamenta plurima ministrarunt, ex quo ius patronatus in eisdem ecclesijs, præsertim cathedralibus acquisiuerunt, & specialiter sibi reseruauerunt, vt in c. nobis. & c. præterea. de iure patrona. de quo vide Archid. in c. lectis. lxij. distinct. & Bald. in proemio decretalium. §. Rex pacificus. & videbis doctorem Palacios Ruuios virum grauem, magnæ authoritatis, & doctrinæ in tractatu suo de beneficijs in curia vacantibus. §. viij. & dixi supra in isto speculo in ca. de bello, in princ. † Et tale ius patronatus transit ad filios & nepotes, quorum nomine intelliguntur pronepotes, & ceteri descendentes. Itaque ius patronatus transit ad hæredes in perpetuum. bonus tex. ad hoc in c. filijs, xvj. q. vij. & de hoc in c. frigidus. & c. pia mentis. eadem q. & causa. & xvj. q. vij. vbi dicunt doctores, quod quatuor modis ius patronatus ad alios transfertur, scilicet successione, donatione, permutatione, vniuersitatis vèditione. Et ius patronatus est potestas prouidendi ecclesiæ procedens ex beneficijs ante consecrationem ecclesiæ collatis. colligitur hæc definitio secundum Archidia ex diuersis iuribus. Hostien. vero sic definit ius patronatus est potestas præsentandi instituendum ad beneficium ecclesiasticum; addens, quod prouidentia patroni consistit circa duo, scilicet temporalia, & spiritualia; tenetur enim pro temporalibus esse sollicitus,

ne dilapidentur. & talem ministrum in ecclesia eligere, qui diuina officia digne valeat celebrare. Et ius patronatus dicitur propter defensionem, quam patroni debent impendere ecclesie: Et non est ius spirituale proprie, cum laico competat, & ad heredes transeat, vt dixi: sed est annexum spirituali, vt in cap. de iure patrona. docto. in cap. 4 quanto, de iudicijs. † Et tribus ex causis ius patronatus acquiritur. primo scilicet ex ecclesie constructione; secundo ex ecclesie donatione; tertio ex territorij ad ecclesiam fundandam collatione. De donatione, & constructione vide in dict. c. filijs. xvj. quaest. vij. de fundi collatione. cap. Abbatem. xvij. quaest. ij. Et constructor, vel fundator dicitur ille, qui a principio, & de nouo construxit, & donauit. Et acquiritur ius patronatus ante consecrationem, vt dixi; Vnde ante consecrationem debet construi, & territorium, vbi construitur, assignari; alias construi non posset, & dotis collatione dotari, alias construi non debet, vt in d. c. frigentius & c. pia mentis. Et † debetur patrono honor, onus, emolumentum, vt praesentet, praesit, defendat, alatur egenus. Competit ergo sibi aliquid honoris, aliquid oneris, aliquid utilitatis: honor consistit in praesentatione, & reuerentia: Onus consistit in eo, quod praecipuus defensor ecclesie est; Vnde tenetur ecclesiam ab omnibus oppressoribus, & oppressionibus defendere. vnde & aduocatus, & defensor dici potest. Et de rebus ecclesie sollicitudinem debet gerere, ne defraudetur ecclesia, vt in dict. c. filijs. Emolumentum, & utilitas ei competit; quoniam in tempore suae necessitatis sustentandus est, vt in dict. cap. filijs. & c. quicumque. xvj. quaest. vij. & alendus est debita ratione, ne egeat.

Sed ad corroboracionem meae conclusionis, scilicet quod Reges Hispaniae sunt antiquitus patroni ecclesiarum, vt dixi, adduco optimum tex. in ca. cum longe. lxij. distinct. vbi probatur, quod consuetudo antiquata, & prisca erat in tota Hispania, quod quando moriebatur aliquis Episcopus, congregabantur omnes Episcopi comprouinciales; & obitus Episcopi significabatur Regi; & Rex eligebat; & electio concilio Episcoporum intimabatur, vt

ab eo comprobaretur. Sed quia hoc erat valde difficile, & onerosum, cum propter longitudinem itineris cito non possent Episcopi congregari, statutum est in concilio Toletano, vt Toletanus Archiepiscopus vicem omnium Episcoporum suppleret, scilicet vt obitum Episcopi Regi nuntiaret, & electionem factam à Rege comprobaret, & confirmaret, & electum consecraret. Est argumentum, quòd propter loci, & temporis difficultatem aliquid fit ab aliquo, à quo alias non deberet fieri, vt electio, & consecratio. Itaque ne propter viarum discrimina ordinatio ecclesiarum periculose differatur, concessit Papa Archiepiscopo Toletano, vt presentatos per regem Hispaniæ posset confirmare, & consecrare, vt in dict. cap. cum longe, lxij. distinct. & ita Cardin. S. Sixti. ponit casum in lectura sua.

† Et debetur patrono honor, onus, emolumentum, vt 6 presentet, præsit, defendat, alatur egenus: competit ergo sibi aliquid honoris, aliquid utilitatis, aliquid oneris; honor consistit in presentatione, & reuerentia. Onus consistit in eo, quòd præcipuus defensor ecclesiæ est; vnde tenetur ecclesiam ab omnibus oppressoribus, & oppressionibus defendere; vnde & aduocatus, & defensor dici potest: & de rebus ecclesiæ sollicitudinem debet gerere, ne defraudetur ecclesia, vt in dict. cap. filijs. Emolumentum, & utilitas ei competit, quoniam in tempore suæ necessitatis sustentandus est, vt in dict. cap. filijs. & c. quicumque xvj. quæst. vij. & alendus est debita ratione, ne egeat. Sed credo, quòd persona, & qualitas, & dignitas patroni est consideranda, & ecclesiæ, vel ecclesiarum facultates sunt etiam consideranda; quia aliter est prouidendum nobili, & aliter ignobili; qualitas necessitatis etiam consideranda est, quia si patronus esset Rex, vt Catholicus Rex noster patronus omnium ecclesiarum Hispaniæ, & necessitas vrget de christiana religione tuenda, vt in presentia, quid dicendum? secundum ex infra dicendis remedium optimum in promptu erit. † Item præmitto, quòd reges 7 nostri semper continuatis temporibus fuerunt, & sunt fortissimum propugnaculum catholici fidei, & excessiuis sumpti-

sumptibus & laboribus debellauerunt regnum Granatæ intra fines nostros situatum, & propagando dominium suū trās fretauerūt mare nostrum, & intra regna infidelium Saracenis profligatis fortissima arcē illā Mazalquiuir vulgariter nuncupatā expugnaverunt, ciuitatemq; famosam Oram expugnaverunt, & etiam arcem vulgo nuncupatam Melilla: quæ omnino in præsentia possidemus, tanquam præsidia munimenta q; Christianæ religionis: postmodum vero vario Marte pugnando magnam substantiam pro defensione reipublicæ Christianæ profuderunt. Nouissime autem diuus Carolus Quintus Imperator Romanorum semper Augustus, genitor Catholici Regis nostri pro cōseruatione religionis in Africam trās fretauit, & contra Arabes, & Turcas bella crudelissima gessit in regno magnæ Carthaginis: vbi post varia trophæa ab eis viriliter obtenta, ingentes legiones Mahumeranas superauit, profligauitq;. Et post tam insignem famosamq; victoriam, & præclarissimum triumphum regnum cunctum in suam ditionem redegit, Octuagintaquinque triremes infidelium à Christianis in littore maris expugnatæ sunt, fortissimamque arcem in loco Goletta nuncupato construxit, quam bene munitam hodierna die maxima cum diligentia conseruamus. Quid multis? iam in seruitute essemus, nisi Catholici Reges nostri gladio bellico nos à iugo seruitutis acriter certando liberassent; quia in debellatione magnæ Carthaginis quindecim milia capita Christianorum à captiuitate paganica liberata sunt, & in pristinam libertatem redacta.

Præmitto etiam, quod catholici Reges nostri habent classem multarum triremium numero sexaginta in mari Iberico, & in mari Ligustico, & in mari Siculo, & in mari Balearico, vbi triremes nostræ toto tēpore versantur semper in continuo motu ad propulsandas continuas inuasiones à piratis infidelibus factas, quia quotidie Rex sacrissimus Turcarum maximo, & crudeli affectu Christianam religionem persequitur. quid moror? in anno 1551. & in anno 1552. & in anno 1553. & in anno 1554. 1555. & 1556. & in anno 1557. & alijs superioribus annis gentes Turc

Turcarum magna classe triremium, totum mare nostrum crudeliter inuaserunt depraedando ciuitates nostras, & amicorum nostrorum: debellauerunt etiam fortissimam illam arcem Bonifacij in regno Corsicæ, vt omnes scitis, atque vtinam non sciretis. In istis etiam bellorum tumultibus Pannoniam, & quasi omnem Hungariam infideles tyrannice occupatam habent, vt omnes scitis, atque vtinam non sciretis.

Præmitto etiam; quod à quadraginta annis citra, maxima discessio in ecclesia Dei orta est ob Christianorum discessionem.

† Item, & vltimo, præmitto, quod secundum beatum Ambrosium in libro de officijs, res ecclesiæ, vel ecclesiasticæ possunt alienari, & vendi tempore necessitatis pro alimonia pauperum, pro redemptione captiuorum, &c. in his quidem vasa preciosa, & sacra etiam debent alienari secundum beatum Ambrosium, vt dixi; & transumptiuè in cap. aurum habet ecclesia. xij. quæst. secunda. cuius verba sunt; Aurum ecclesia habet, non vt seruet, sed vt eogeret, & tubueniat in necessitatibus. Quid est opus custodire, quod nihil adiuuat? An ignoramus, quantum auri, atque argenti de templo Domini Assirij sustulerunt? Nonne melius constat sacerdos pro alimonia pauperum, si aliqua subsidia desunt, quam si sacrilegus contaminat, & asportat hostis? Nonne dicitur est dominus. cur passus es tot inopes fame mori? certe habebas aurum, vnde ministrasses alimonia. Cur tot captiui in captiuitatem diti, nec redempti ab hoste occisi sunt? melius fuerat, vt vasa viuentium seruares, quam metallorum. his non potes responsum referre, quid enim dices? timui, ne templo Dei ornatus deesset: respondeat, aurum sacra non quarunt, neque auro placet, quæ auro non emuntur: ornatus sacrorum redemptio captiuorum est; & vera illa sunt vasa preciosa, quæ redimunt animas à morte, ille verus thesaurus est domini, qui operatur, quod sanguis eius operatus est. Et post pauca: Nemo potest dicere, cur pauper viuit. Nemo potest quæri, quia captiui redempti sunt: in his generibus vasa ecclesiæ etiam iniuriata confringere,

con-

conflare, vendere licet. Ideo dominus habebat loculos, & fidelibus oblata conseruans, & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Ioann. cap. xiiij. & c. habebat. xiiij. quæst. j. Et Augusti. dicit, & transumptiue in dict. c. habebat. Clericis nullo modo licet habere quid proprium, sed res ecclesie non quasi propriae, sed vt communes, & domino oblatae cum summo timore, non in alios, quam in præfatos vsus sunt fideliter dispensandæ. Itaque ecclesie tenetur redimere omnes captiuos, sed ecclesie Hispaniarum suos tenentur redimere, & sic de cæteris, vt per doct. in ca. sicut omnino. xiiij. quæst. ij. Item in vj. synodo vniuersali fuit statutum, & definitum, vt in cap. Apostolicos. xiiij. quæst. ij. vbi litera dicit, Apostolicos, & paternos canones renouans hæc sancta, & venerabilis synodus definit, neminem prorsus Episcopum vendere, vel vtrunque alienare Ciminilia, & vasa sacrata, excepta causa olim ab antiquis canonibus ordinata, videlicet pro redemptione captiuorum. Item Gregorius Episcopo Messano scribit; † Et sacrorum canonum legalia statuta permittunt ministreria ecclesie pro captiuorum redemptione esse vendenda, vt in c. vt sacrorum, xiiij. q. ij. similis tex. in c. sacrorum. ea. q. & cau. vbi litera dicit: Sacrorum canonum statuta legalia permittit autoritas licite res ecclesiasticas in redemptionem captiuorum impendi. similis tex. in c. sicut, §. sed notando, ea. q. & causa. & in c. ecclesiarum seruos, est similis tex. eadem. q. & causa.

Hoc prudentia dicitur, inclinatur ad hoc etiam misericordia, & proximorum dilectio, sic docuit Christus. Matth. xix. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; licet multi cum diuitijs habuerunt virtutes, vt Abraham, Dauid, Iacob; sed crudele plane est, aurum in theca rubiginari, & proximum fame emori, aut carcere cruciari: vnde saluator ait Matth. vj. Facite vobis amicos de mamona iniquitatis. † Itaque in iuribus ab legatis probatur, quod ecclesia tenetur redimere captiuos, quia timetur periculum, seu mors animæ, vt in cap. ipsa pietas, xxiiij. quæst. iij. & ornatus sacrorum redemptionem captiuorum est, vt dixi: quia per redemptionem

captiuorum ab infidelibus eripiuntur animæ à lapsu erro-
 ris, & verius ornatur ecclesia lapidibus viuis; quàm auro,
 & argento mortuorum: sanctius est templum spiritus san-
 cti, quod fideles sunt, omni ornatu templi corporalis: &
 quanto pretiosior sit anima corpore, tanto magis ea, per
 quæ animæ liberantur à morte scilicet æterna, in redem-
 ptionem captiuorū impendentur, & Pet. dixit in can. Non
 enim auro, & argento redempti estis, sed precioso sangui-
 ne Christi. Igitur ille est pretiosus thesaurus, qui captiuos
 redimit, quos sanguis Christi operatus est, scilicet in re-
 demptionem. A poca. c. v. Redemisti nos in sanguine tuo.
 ideo vt dicit tex. in d. c. aurum; Nemo potest dicere. j. ob-
 iicere, quare bona ecclesiastica sunt expensa in redempti-
 onem captiuorum, cum ad hoc sint ordinata. ita docto. &
 doctissimus Cardinalis Sancti Sixti in d. c. aurum habet ec-
 clesia. Præcipue, quòd Archiepiscopi, & Episcopi, & om-
 nes clerici viuentes de patrimonio Christi, & dispensato-
 res, & vsuarij, & non vsufructuarij sunt; quia non domini
 fructuū, neque de his testantur, nec possunt testari, vtpote
 nec domini rerum, vt dixi latissime supra in isto Speculo.
 c. lxx. Itaque ex præmissionibus meis, inuictissime catho-
 lice Rex, constat manifeste Maiestatem tuam esse patro-
 num ecclesiarum Hispaniæ, aduocatum, defensoremque:
 constat etiam in necessitatibus proprijs, & publicis de iu-
 re succurrendum fore à personis ecclesiasticis, & præcipue
 à prelatjs Hispaniarum: constat etiam Maiestatem tuam
 imagine antecessorum fortissimum Catholicæ fidei pro-
 pugnaculum esse: † constat etiam saeuissimum Regē Tur-
 carum esse in præsentia verum, voracem deuorantem
 Christianæ Republicæ, deminorantem, exterminantem
 que. Constat etiam, exercitum marinum Turcarum su-
 periorum continuo esse exercitui marino nostro, cum sem-
 per in mari præmineat, vt ex euidencia facti notorij perma-
 nentis apparet; & constat etiam, inuictissime catholice Rex,
 ex præmissionibus meis, bona ecclesiastica, & vasa conse-
 crata posse alienari, & vendi in tam euidenti infortunio,
 & occurrenti calamitate, cum ad hoc bona ecclesiastica
 sunt ordinata; cum Archiepiscopi, & omnes clerici sint
 vsuarij

12

vsuarij, & non vsufructuarij, vt dixi: Constat etiam totam
 salutem religionis nostræ in classe esse, quia si supra mare
 exercitum centum trirremium habuissimus, non solum à
 iugo seruitutis essemus exempti, sed intra fines suos tutis-
 sima præsidia munissemus. Et quia tota difficultas in pecu-
 niâ consistit, inquirendum est, vbi facilius pecuniâ inue-
 niendâ sunt, quia certum est, quòd redditus ordinarij, &
 extraordinarij Regnorum nostrorum non sufficiunt, ne-
 que alia honesta seruitia, quæ vltro, sponteque laici conti-
 nuo offerunt, vt ex euidenti facti manifestum est. Ideo in
 euidenti infortunio, in deminoratione, & annihilatione
 religionis tam clara, quid dicendum, o bone, inuidissime,
 catholice Rex? † cum infideles te ad arma prouocant in-
 uictum, defensio de iure naturali est, licitum est se contra
 vim tueri, vim vi repellere licere, omnia iura clamant: ideo
 necessario est, vt totis viribus maiestas tua totum gregem
 sibi commissum defendat, exemplo Christi, qui animam
 suam pro nobis posuit, & exemplo Petri, qui pro corpore
 Christi, id est, p[ro] ecclesia corporaliter pugnavit. In hoc co-
 gaouimus homines charitatem dei, quia animam suam
 pro nobis posuit; præcipue, quòd Regibus, & secularium
 dignitatum administratoribus defendendarum ecclesiasti-
 cas necessitas incumbit; ideo dixit Papa Leo in ca. res. xxiiij. q.
 v. Res autem omnes aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ
 ad diuinam confessionem pertinent, & regia, & sacerdoti-
 lis defendat auctoritas. Ideo clementissime catholice Rex,
 totis viribus centum triremes construantur ex redditibus ec-
 clesiasticis superabundantibus; quia ex præmissionibus
 meis constat clare, omnia bona ecclesiastica superabundantia,
 & omnes fructus ecclesiasticos superabundantes debe-
 re expendi in Christiana religione tuenda, deducto victu
 necessario ministris, sed cum moderamine. Et dico, quòd
 ex beneficijs non transcendentibus summam ducatorum
 centum, nihil exigendū est; quia pro victu, & vestitu, præ-
 dicta summa ducatorum centum necessaria est; & qui al-
 tari seruit, de altari viuere debet. Intelligo hoc, si clericus
 non habet, nisi vnum beneficium, & in eo residet; nam si
 habet plura beneficia, dico vt supra: quia ex beneficijs non
 debet

debet habere nisi victum, & vestitum, vt dixi: & pluralitas beneficiorum reprobata est à iure, vt dixi late supra in isto speculo; in titul. de pluralitate beneficiorum, & vide in capitul. Episcopus. xij. quæstion. j. & vide in capit. & ibi gloss. xxj. quæstion. j. vbi dicitur; Audiuius enim ex ipsa dominica voce, quòd nemo potest duobus dominis seruire.

Sed si aliquis diceret, nihil statuendum est contra libertatem, & immunitatem ecclesiarum. & t̄ maxime, quia quæ semel deo oblata sunt, non debent amplius ad humanos vsus conuerti: & Rex debet defendere ecclesias, non spoliare. Respondeo hoc faciendum esse de consensu, & dispensatione summi Pontificis, in cuius manibus iura sunt, & ecclesiarum immunitates: & iuste actum fuerit, quòd per supremam sedem fuerit dispensatum, & non aliter: ipse enim pater vniuersalis est, & in necessitatibus vere cogitis non deerit. Propterea dico, de mente omnium doctorum, quod si est aliquid explicandum, quod respiciat pietatem, & publicam vtilitatem ecclesiarum, vt in casu nostro, & non à remotis, per quandam consequentiam tenentur clerici, & ecclesie contribuere cum laicis. Ideo si necessitas, vel vtilitas concernit de directo, & principaliter vniuersalem vtilitatem laicorum, & clericorum, vt in presentia, tenentur clerici, vt dixi, contribuere cum laicis, t̄ cum agatur de generali vtilitate totius Christianitatis; & in tali casu oportet vtrorumque cõsensum interuenire, scilicet cleri, & populi; quia quod omnes tangit, debet ab omnibus comprobari; præcipue vbi agitur de religione seruanda, de captiuis redimendis, de pauperibus alendis. Et pugnamus pro veritate fidei contra hostes Christianæ rei publicæ; quia tunc ecclesia debet nedum subuenire, sed omnia bona sua distribuere, vt in dicto. capitul. ecclesiarum ecclesia habet, cum suis concordantijs. ita Patrum normitanus. in capitul. non minus. de immunitat. ecclesiarum. secus autem est in alijs particularibus necessitatibus, quando vtilitas non concernit de directo, & principaliter vniuersalem vtilitatem religionis.

Sed

Sed in refectione murorum Brundusij, Hidruntis, Tarenti, Manfredonia, Baruli, vel ciuitatis Barij, vel noue Carthaginis, vbi de directo talis refectione vniuersalem respicit vtilitatem totius Christianitatis, non habent locum iura loquentia de immunitate ecclesiarum: quia tractatur, vt dixi, de componendo religionis statu contra Turcarum potentiam; vim vi repellendo: ideo non habet locum c. aduersus, de immunit. ecclesiarum, quia loquitur in casu suo, & non vbi expensa est necessaria pro catholica religione tuenda, in casu nostro. ita Panorm. in. d. cap. non minus. vbi eleganter loquitur. Sed in casu nostro loquitur tex. in l. nullus. il. ij. de angarijs, & per angarijs. lib. x. cum suis concordantijs. vbi dicit text. Nullus penitus cuiuslibet ordinis, seu dignitatis, vel sacrosancta ecclesia, vel domus regia tempore expeditionis excusationem angariarum, seu per angariarum habet: quia loquitur in expeditione grauissima, vbi notorie constat periculum religionis. vbi Imperator potest simile legem statuere, quia tractatur de toto asse, & de periculo mundi, per tex. singulari in ca. res. x. ij. q. v. cuius verba sunt. Res autem omnes aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad diuinam confessionem pertinent; & regia, & sacerdotalis defendat auctoritas, facit tex. in. cap. principes. §. cognoscant. ea. q. & cau. vbi litera dicit. Cognoscant principes seculi deo se debere esse reddituros rationem propter ecclesiam, quam Christo tuendam suscipiunt. † Nam siue augeatur pax, & disciplina ecclesiae potest fideles principes; siue soluatur; ille scilicet Deus ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam ecclesiam tradidit. facit etiam tex. in c. dicat aliquis. ea. q. & cau. vbi litera beati Ambrosij dicit in §. praeterea. Sicut principibus, & potestatibus fidem, & reuerentiam exhibere cogimur, ita secularium dignitatum administratoribus; si defendendum ecclesiarum necessitas incumbit; quod si facere contempserint, a communione sunt repellendi. similis tex. in c. administratores. & in c. Regum, ea. q. & cau. † Itaque defensio temporalium principibus, & praecipue Imperatori commissa est, & per consequens idem quoque commissum esse videtur, sine quibus iurisdictio explicari non potest.

per ea, quæ notantur in l. ij. ff. de iurisdic. omni. iudi. bene
 faciunt ad hoc ea, quæ scripsi in isto speculo. ca. v. ad fin.
 omnino vide. Et de immunitate, & libertate ecclesiastica
 vide ea, quæ scripsi supra in isto speculo. cap. xxxv. & vide
 Petrum doctissimum de Ancharano in cap. non minus. de
 immunitate ecclesiarum ad finem, sic dicentem, post quã
 noua, & vetera recollegit. Ex prædictis posset dari certa
 doctrina, quòd vbicunque tractatur de communi utilita-
 te clericorum, & laicorum simul, & permixtim, clerici te-
 nentur contribuere simul cum laicis, quia vbi commodũ,
 ibi onus, vt in clementina i. de censibus. Vnde audiui fuisse
 conclusum à doctissimis viris, quòd ad aggeres, qui fi-
 unt iuxta mare, vel flumina propter timorem inundatio-
 nis, tenentur pro possessionibus suis contribuere clerici,
 sicut laici propter commune periculum. Idem etiam ad
 euitandum rapinas, incendia, captiuitates, & alia multa
 mala; hic enim vt laicorum, ita clericorum versatur veilitas:
 addit etiam, item clerici tenentur vigilare pro custo-
 dia ciuitatis, & tuitione, vt in c. peruenit, de immunitate
 ecclesiarum. Item nulla maior pietas, quam defendere reli-
 gionem ab infidelibus. cap. fortitudo. xxiiij. q. iij. vbi litera
 beati Ambrosij sic dicit: Fortitudo, quæ bello tuetur à bar-
 baris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus
 locios, plena iustitia est. facit tex. in c. si quis. & c. non infe-
 renda. ea. q. & cau. & hac ratione etiam pro pace, & quiete,
 qua tueri, & defendari debent, Imperatoribus tributum ab
 ecclesia persoluendum est, vt in c. tributum. xxiiij. q. viij.
 itaque de exterioribus suis ecclesia tributum reddit. & tu
 videbis ea, quæ ego scripsi supra in isto speculo in titulo de
 immunitate, & libertate ecclesiastica; vbi dilucidauit om-
 nia. † Ideo omnibus bene consideratis assertio, & cõclusio 18
 mea plana est intuèti; quia iuste licet Catholico Regi no-
 stro petere, & exigere à clericis, Archiepiscopis & Episcopis
 medietatem fructuũ ex beneficijs ecclesiasticis, vt dixi, pro
 necessaria defensione, & tuitione Christianæ reipublice; &
 si vnquam nunc maxime necessarium est, sed Catholicus
 Rex noster cum maximo moderamine hoc faciet, interue-
 niente consilio, & consensu omnium Archiepiscoporum,
 H h &

& Episcoporum, vt per Pauorm in c. aduersus, de immunitate ecclesiarum. quia tex. in d. c. aduersus, loquitur in casu suo. quia vbiunque tractatur de generali vltima Christiane reipublice non loquitur tex. in d. c. aduersus, vt concludunt doctores. & dixi supra in c. de ecclesiastica libertate. Et quia multitudo facilis est ad dissentiendum, cogens fiat consulto sacro summo Romano Pont. & consentiente iudicio meo; vt dixi, & non aliter.

Sed scripta mea non ligant monasteria monialium, nec ligant monasteria fratrum, nec monasteria monachorum, nec ligant alia religiosa, & pia loca; quia tales non sunt vsuarij bonorum suorum, sed veri domini; sed Archiepiscopi, & Episcopi, & alij clerici, vt dixi, non sunt vsuarij mini fructuum decimarum. Sed quia aliqua pia loca gratia speciali possident aliqua beneficia ecclesiastica, de talibus beneficijs dico, vt supra.

19 ¶ Verum est, quod extrema necessitate cogente nulli exemptione gaudet, quia in tali casu omnia bona sunt communia. bonus tex. in cap. discipulos. de consecra. dist. 1. v. vbi litera dicit: discipulos, cum per segetes transiendum euellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox innocentes vocat, quia coacti fame hoc fecerunt: ideo necessitas non habet legem, vt in d. ca. discipulos. & c. si quis, de furtis & c. sicut, de consec. dist. 1. Sic propter necessitatem Dauid comedit panes propositionis. Math. xxij. Regum i. c. xij.

20 ¶ Propter necessitatem famis potest pater distrahere filios, vt in l. j. C. de patribus, qui filios distraxerunt. ¶ Et ratio est, vt dixi, quia in necessitate omnia debent esse communia, optimus textus etiam ad hoc in c. sicut hi. xlvij. dist. 1. itaque necessitas facit licitum, quod alias erat illicitum.

21 Dixi de iure patronatus, nunc dico, ¶ quod plures sunt viæ a iure inuenta, secundum quas ecclesijs prouidentur. Prima via est electio, vt in c. j. de electio. & c. tua, & c. cum terra, & de postula. prala. e. bona. j. & hoc non cadit in laicum, vt doctores. in c. quod sicut, de electio. Secunda via est solennis nominatio, vt in cap. bone. de postula. prala. cap. quanto. l. iij. dist. 1. ibi notatur: & ista solennis nominatio non cadit in laicum, vt in dicto. capitul. quomodo.

notatur. Tertia via est postulatio, vt per totum titu. de postu. præla. & non cadit in laicum. Quarta via est collatio, quæ specialiter pertinet ad prælatum, & hoc non cadit in laicum, sed bene cadit de priuilegio Papæ, vt lxiij. distinct. cap. Adrianus. & c. in synodo. Quinta est præsentatio, vt de iure patronatus per totum, & cap. cum Bertoldus, de iureiuran. & hoc cadit ex vi iuris patronatus in laicum patronum. c. vlti. de iure patro. & de electio. cap. querelam. Sexta via est simplicis petitionis, quando populus petit ab Episcopo sibi dari rectorem: & hoc potest cadere in laicos, siue populum non patronum. cap. quod Dei timorem, de statu mona. xxij. distinct. cap. primo. Itaque populi non est eligere, sed petitio bene cadit in populum. Et variare in electione quamdiu, & qualiter liceat, vide optimam glossam in dicto cap. quanto, sexagesima tertia distinctione. & ibi v. de docto.

DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE. Cap. LXIII.

S V M M A R I V M.

1. *Votum vnde dictum: Item quæ sint necessaria ad voti obligationem.*
2. *A voto discedere non licet.*
3. *Ex alieno arbitrio votum pendere non debet.*
4. *Necessario post soluendum est, quidquid pro voto promissum fuerit.*
5. *In quibus proprie consistat votum.*
6. *Religionem vouentes, nouo nexu ab adulterio obligantur abstinere.*
7. *Quæ & quot sint votorum species, & nu. 9.*
8. *Voluntarium votum quodnam dicatur.*
10. *Quilibet sacer ordo castitatu votum annexum habet.*
11. *Si quis votum simplex emiseric, & postea contrahat, an teneat matrimonium, & nu. 12.*
13. *Solemne votum, ante pubertatis annos, nemo suscipere potest.*

H h 2

V r u m